



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 16 quaeritur utrum omnium hominum sit unus intellectus possibilis vel numeretur secundum hominum numerationem.

Videtur quod omnino sit unus, quia omne quod recipitur in aliquo individuo, recipitur individualiter. Sed si intellectus meus est alius a tuo, quilibet intellectus est individualis, ergo quicquid in utroque recipitur, individualiter recipitur. Sed hoc est contra rationem intellectus qui receptivus est speciei universalis; ergo non multiplicatur diversi intellectus.

Praeterea. Cum intellectum sit in intellectu intelligentis, si intellectus meus est alius a tuo, oportet quod aliud sit intellectum a me et a te et tale individualiter numeratur, et intellectum est in potentia; ergo oportebit, si talia debeant actu intelligi, quod ab eis aliqua intentio communis abstrahatur, quia a quolibet diverso secundum numerum contingit abstrahere aliquod commune intelligibile. Sed hoc est contra rationem intellectus, quia secundum hoc intellectus non differret a virtute imaginativa, ergo non videtur quod diversorum hominum, sint diversi intellectus possibiles, sed unus omnium.

Contra. II Physicorum dicitur quod sicut se habent causae universales ad universalia, ita particulares ad particularia. Sed impossibile est quod una anima secundum speciem, sit diversorum alium secundum speciem; ergo impossibile est quod una anima intellectiva numero sit diversorum secundum numerum.

Ad evidentiam quaestionis sunt tria videnda. Primo ostenditur quod principium intellectivum unitur corpori humano ut forma. Secundo ex hoc ostenditur opinionem Commentatoris non valere. Tertio ponuntur quaedam obiectiones contra determinata, licet non contra conclusionem.

Primum ostenditur ab aliquibus dupliciter. Primo sic. Illud quo aliquis primo operatur, est eius forma, sed anima est quo primo vivimus, movemur, sentimus et intelligimus, ut dicitur II De anima; ergo principium intellectivum sive dicatur intellectus sive anima intellectiva forma corporis est. Minor patet per Philosophum III De anima. Maior declaratur, quia cum nihil agat, nisi ut est actu, certum est autem quod forma est qua aliquid est actu, ergo forma est qua aliquis operatur.

Secundo ostenditur idem sic ex natura et ratione proprie speciei, quia cum natura uniuscuiusque rei ex eius propria operatione ostendatur ex eo sortitur aliquid speciem quod est primum principium proprie operationis. Nunc ita est quod propria operatio hominis, inquantum homo est intelligere. Per hanc enim operationem cuncta transcendit homo. Unde et X Ethicae, Philosophus felicitatem ultimam in hac operatione constituit; ergo homo sortitur speciem secundum illud quod est primum principium huius operationis. Sed unumquodque sortitur speciem a forma sua; ergo primum principium intellectivum unitur homini ut forma. Advertendum autem quod «quanto aliqua forma nobilior est, tanto magis dominatur materiae corporali et minus ei immergitur» et magis eam sua virtute transcendit; unde videmus quod secundum gradus nobilitatis formarum, secundum hoc invenitur gradus in dominio formae super materiam corporalem. Forma enim mixti, quae nobilior est formis elementaribus, habet operationem aliquam, quae non causatur ex qualitatibus elementaribus. Anima autem vegetabilis habet nobiliorem operationem et magis suam materiam transcendit quam forma mixti et sic de aliis formis nobilibus. Inter omnes autem formas substantiales anima humana est nobilissima. Et ideo tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet operationem et



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

virtutem in quo nullo modo communicat materia corporalis. Et hoc virtus et potentia dicitur intellectus cuius subiectum proprium est anima intellectiva.

Ex hoc statim apparet veritas quaestionis, scilicet quod non sit unus intellectus omnium hominum, quia cum ens et unum se consequantur ab eodem, habet aliquid esse et etiam unitatem. Sed unumquodque individuum humanum /41rb/ habet esse per formam suam, quae est anima intellectiva; ergo ab eodem habebit unitatem; ergo impossibile est quod diversorum individuorum vel hominum sit una anima intellectiva vel unus intellectus. Sic patet primum.

Quantum ad secundum, ut appareat falsitas opinionis Averrois, sciendum quod positio sua fuit hoc: posuit enim quod substantia intellectualis non potest uniri corpori ut forma eius, sed est quaedam substantia separata. Argumentum ad hoc accipiens maxime ex duobus.

Primo quod Philosophus dicit III De anima, loquens de intellectu dicit quod est separatus et immixtus corpori et impassibilis et simplex. Hoc autem non esset secundum eum, si esset forma corporis.

Praeterea. Hoc idem ostendit per Philosophi demonstrationem, quia cum intellectus possibilis recipiat omnes species rerum sensibilium, ut in potentia ad eas existens, oportet quod omnibus careat, sicut pupilla recipiens omnes species colorum, oportet quod omnibus careat. Si enim de se haberet colorem aliquem, ille color prohiberet videri alios colores, quia non viderentur, nisi sub illo colore. Et simile contingeret de intellectu possibili, si de se haberet aliquam formam de rebus sensibilibus; hoc oportet secundum eum si esset immixtus alicui corpori ut forma, quia cum ex materia et forma fiat unum, oportet quod forma participet aliquid de natura eius, cuius est forma. Ergo impossibile est secundum eum intellectum possibilem uniri corpori ut formam eius, sed est quaedam substantia separata. Verumptamen quia videbat nec poterat negare quin homo intelligat et per talem intellectum non possemus intelligere, nisi nobis aliquo modo uniretur, ideo posuit alium modum quo nobis talis intellectus unitur et continuatur. Dicit enim quod species intellecta in actu est forma intellectus possibilis, sicut visibile in actu est forma potentiae visivae; unde ex intellectu possibili et forma intellecta actu fit unum. Certumque igitur unitur praedicta forma et species intellecta, coniungitur etiam ei intellectus possibilis. Coniungitur autem nobis illa species intellectus mediante phantasmate; unde dicit quod sicut species visibilis duplex subiectum habet, unum in quo habet esse spirituale, scilicet visum, et aliud in quo habet esse naturale, sicut coloratum corpus, ita species intelligibilis habet duplex subiectum, unum scilicet in quo ista species intellectualis habet esse materiale, scilicet ipsa phantasmata, quae sunt in imaginatione, et aliud in quo habet esse immateriale, scilicet intellectum possibilem. Et ideo cum species intellectualis nobis uniatur mediante phantasmate et intellectus possibilis mediante specie nobis coniungitur, ut dicamur eo intelligere. Et per hoc ipse credit multa inconvenientia evitare. Cum enim subiectum speciei sit phantasma et diversa sint phantasmata in diversis, diversimode coniungitur intellectus possibilis diversis hominibus. Ex hoc sequitur quod illud unus homo scit quod alius nescit. Ex hoc enim non sequitur quod omnium hominum sit unum esse, quia cum ex intellectu possibili et ex specie intellectiva in actu fiat unum et ipse intellectus possibilis nobis non coniungatur mediante aliquo quod est formale in eo, sed mediante specie, quae coniungitur nobis secundum diversa phantasmata, ipse nobis coniungitur diversa



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

coniunctione. Et sic in diversis erit talis species unita non secundum idem esse, sed secundum diversum. Sed ista positio est erronea et falsa nec etiam modus ponendi conveniens nec suae rationes concludunt verum, sed est haeretica, quia praemium tollit et poenam. Cum enim diversificetur tantum intellectus possibilis secundum esse ex parte phantasticum, quae sunt corruptibilia; ex parte autem intellectus sit omnino unitas corpore corrupto, cum destruantur phantasmata, remanebit solus intellectus possibilis separatus unus et sic vel non est praemium vel poena, vel unus et idem praemiabitur et punietur per omnibus, quod est inconveniens. Nec etiam suus modus ponendi valet per quem dicitur quod contineatur nobis intellectus possibilis, quia constat quod species existens in intellectu possibili et in imaginatione non est eadem numero, sed diversa, quia impossibile est quod idem accidens numero sit in diversis subiectis numero, tum semper accidens numeretur numeratione subiecti et ideo non continuatur nobis intellectus per speciem illam, quia species, quae est in intellectu, non est in imaginatione, licet similis illi possit ibi esse. Unde sicut forma Sortis non continuatur Platoni per hoc quod in utroque est lapidum species, cum in utroque sit alia species numero, ita et hic.

Praeterea. Ex hoc non sequitur quod Sortes intelligat, cum enim operatio non egrediatur ab obiecto, sed a potentia. Si intellectus continuatur nobis per hoc solum quod species intellecta habet obiectum in nobis, sicut non sequitur quod paries videat propter hoc quod obiectum visus, scilicet color est in eo, sicut in subiecto, sic non sequitur quod Sortes intelligat per hoc, scilicet quod obiectum alterius intellectus est in eo, scilicet phantasma, sed potius intellectus separatus. Nec etiam rationes suae concludunt quod enim dicit Philosophus quod intellectus est impassibilis, simplex et immixtus corpori non excludit animam intellectivam, ne sit forma corporis, sed ex hoc ostenditur quod operatio intellectus /41va/ non exercetur mediante organo corporali.

Ad aliud dicendum quod non ponitur intellectus habere aliquam naturam respectu rei sensibilis, per hoc quod anima intellectiva est forma corporis, quia non est ratio nec armonia corporis, ut posuerunt aliqui philosophi, sed est potentia animae in ipsa radicata sicut in subiecto. Quod autem dicitur quod anima et forma aliquam participant naturam eius cuius est forma, dico quod falsum est. Licet enim materia et forma convenient in uno esse, tamen natura formae omnino distincta est a natura materiae; ideo non oportet quod anima sit de natura rei sensibilis, si sit forma corporis sensibilis. Modo contra istud arguitur multipliciter.

Primo contra rationes principales, quibus probatur quod anima intellectiva uniatur corpori ut forma, quia si illa ratio sit bona, sequitur quod potentia intellectiva sit forma corporis, non tamen anima, quia ipsa potentia est qua intelligimus maxime, cum secundum Philosophum ratio etiam teneat in forma accidentali, sicut substantiali, scilicet illud quo operamur, est forma rei.

Secundo sic etiam non valet ratio, quia includit falsum. Certum est quod baculo percutimus et tamen baculus non est forma percutientis per ipsum.

Tertio quia essentia divina est id quo beati vident et tamen forma eorum non est.

Quarto primum movens movet ut animatum et desideratum et tamen caelum nullam formam habet per quam intelligit.

Quinto etiam opinio Commentatoris male reprobatur per hoc quod dicitur quod eadem species numero, non potest esse in intellectu et imaginatione, quia illa reprobatio imaginatur intellectum



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

distare secundum locum a phantasmatis, quod non est verum quia ponit principium intellectivum esse praesens et movens et non distans.

Sexto etiam modus ponendi non videtur valere, cum dicitur quod anima est excedens nobilitate omnes formas alias; ideo habet esse forma corporis et etiam habet potentiam a corpore separatam; cum forma materialis et separata non possint esse eiusdem speciei, multo minus eadem numero. Sed haec positio ponit quod anima eadem numero per aliquid est unica per aliquid est separata, ergo male.

Ad ista dicendum. Ad primum dico quod illud quo primo intelligimus, est anima non potentia. Est enim potentia principium immediatum non primum; sed anima est id quo primo intelligimus.

Ad secundum dico quod ratio intelligitur de principio intrinseco, cuius principium baculus non est.

Ad tertium dico quod propositio intelligitur in naturalibus. In naturalibus enim semper id quo primo operamur, est forma. Sed visio Dei non est naturalis, ideo non valet.

Ad quartum dico secundum Philosophum quod caelum habet animam per quam primo intelligit aut ut prius quod intelligentia movet caelum ut desideratum non a caelo, sed a se ipsa, ut prius dictum fuit.

Ad quintum de Commentatore dicunt aliqui volentes Commentatorem salvare quod eadem species numero est in intellectu et in phantasmate. Unde dicunt quod formae intelligibiles non numerantur ex substantiis suis, sed ex causis suis. Unde dicunt quod si aer et aqua essent simul secundum locum, eadem species esset in utroque. Similiter est hic secundum Commentatorem, intellectus, cum possit hic per operationem esse, ubi phantasma est, una species potest utrumque perficere.

Contra. Quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis. Sed phantasma materiale est et intellectus immaterialis, ergo quod recipitur in utroque est materiale et immateriale. Sed illud non potest convenire eidem speciei intelligibili, ideo etc. Nec est simile de aqua et aere, quia utrumque est materiale.

Praeterea. Hoc dato cum tamen esset in phantasmate materialiter, non esset intelligibilis nisi in potentia et sic homo per eam non intelligeret, sed tantum intellectus separatus.

Ad sextum dico quod impossibile est formam totaliter immaterialem esse eiusdem speciei cum forma materiali, tamen eadem forma potest habere aliquid de utraque quasi in confinio existens inter materialia et immaterialia, quia secundum Dionysium Deus coniungit extrema per media participantia aliquid de utroque extremorum.

Ad primum argumentum principale dicendum quod licet species intellectus recipiatur individualiter subiective et particulariter, non tamen repraesentative. Licet enim sit singulariter ratione subiecti, in quo recipitur, est tamen in recipiendo et probando universalis.

Praeterea. Idem sequitur contra ponentes unum intellectum omnium quia si intellectus possibilis est unicus sicut quaedam substantia separata, oportet quod sit aliquod individuum. Sicut et de ideis Platonis, Aristotelis argumentatur. Et eadem ratione species intelligibiles in ipso erunt individualitate et essent etiam diversae in diversis intelligentibus separatis, cum intelligentia sit plena formis.

Ad secundum dicendum quod est intellectum in potentia non est ex eo quod est indivisibile, sed ex eo quod est materiale. Unde species quae immaterialiter recipiuntur in intellectu, si sicut individuatae sunt, tamen intelligente in actu.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 16 quaeritur utrum omnium hominum sit unus intellectus possibilis vel numeretur secundum hominum numerationem.

Videtur quod omnino sit unus, quia omne quod recipitur in aliquo individuo, recipitur individualiter. Sed si intellectus meus est alius a tuo, quilibet intellectus est individualis, ergo quicquid in utroque recipitur, individualiter recipitur. Sed hoc est contra rationem intellectus qui receptivus est speciei universalis; ergo non multiplicatur diversi intellectus.

Praeterea. Cum intellectum sit in intellectu intelligentis, si intellectus meus est alius a tuo, oportet quod aliud sit intellectum a me et a te et tale individualiter numeratur, et intellectum est in potentia; ergo oportebit, si talia debeant actu intelligi, quod ab eis aliqua intentio communis abstrahatur, quia a quolibet diverso secundum numerum contingit abstrahere aliquod commune intelligibile. Sed hoc est contra rationem intellectus, quia secundum hoc intellectus non differret a virtute imaginativa, ergo non videtur quod diversorum hominum, sint diversi intellectus possibiles, sed unus omnium.

Contra. II Physicorum dicitur quod sicut se habent causae universales ad universalia, ita particulares ad particularia. Sed impossibile est quod una anima secundum speciem, sit diversorum alium secundum speciem; ergo impossibile est quod una anima intellectiva numero sit diversorum secundum numerum.

Ad evidentiam quaestionis sunt tria videnda. Primo ostenditur quod principium intellectivum unitur corpori humano ut forma. Secundo ex hoc ostenditur opinionem Commentatoris non valere. Tertio ponuntur quaedam obiectiones contra determinata, licet non contra conclusionem.

Primum ostenditur ab aliquibus dupliciter. Primo sic. Illud quo aliquis primo operatur, est eius forma, sed anima est quo primo vivimus, movemur, sentimus et intelligimus, ut dicitur II De anima; ergo principium intellectivum sive dicatur intellectus sive anima intellectiva forma corporis est. Minor patet per Philosophum III De anima. Maior declaratur, quia cum nihil agat, nisi ut est actu, certum est autem quod forma est qua aliquid est actu, ergo forma est qua aliquis operatur.

Secundo ostenditur idem sic ex natura et ratione proprie speciei, quia cum natura uniuscuiusque rei ex eius propria operatione ostendatur ex eo sortitur aliquid speciem quod est primum principium proprie operationis. Nunc ita est quod propria operatio hominis, inquantum homo est intelligere. Per hanc enim operationem cuncta transcendit homo. Unde et X Ethicae, Philosophus felicitatem ultimam in hac operatione constituit; ergo homo sortitur speciem secundum illud quod est primum principium huius operationis. Sed unumquodque sortitur speciem a forma sua; ergo primum principium intellectivum unitur homini ut forma. Advertendum autem quod «quanto aliqua forma nobilior est, tanto magis dominatur materiae corporali et minus ei immergitur» et magis eam sua virtute transcendit; unde videmus quod secundum gradus nobilitatis formarum, secundum hoc invenitur gradus in dominio formae super materiam corporalem. Forma enim mixti, quae nobilior est formis elementaribus, habet operationem aliquam, quae non causatur ex qualitatibus elementaribus. Anima autem vegetabilis habet nobiliorem operationem et magis suam materiam transcendit quam forma mixti et sic de aliis formis nobilibus. Inter omnes autem formas substantiales anima humana est nobilissima. Et ideo tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet operationem et



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

virtutem in quo nullo modo communicat materia corporalis. Et hoc virtus et potentia dicitur intellectus cuius subiectum proprium est anima intellectiva.

Ex hoc statim apparet veritas quaestionis, scilicet quod non sit unus intellectus omnium hominum, quia cum ens et unum se consequantur ab eodem, habet aliquid esse et etiam unitatem. Sed unumquodque individuum humanum /41rb/ habet esse per formam suam, quae est anima intellectiva; ergo ab eodem habebit unitatem; ergo impossibile est quod diversorum individuorum vel hominum sit una anima intellectiva vel unus intellectus. Sic patet primum.

Quantum ad secundum, ut appareat falsitas opinionis Averrois, sciendum quod positio sua fuit hoc: posuit enim quod substantia intellectualis non potest uniri corpori ut forma eius, sed est quaedam substantia separata. Argumentum ad hoc accipiens maxime ex duobus.

Primo quod Philosophus dicit III De anima, loquens de intellectu dicit quod est separatus et immixtus corpori et impassibilis et simplex. Hoc autem non esset secundum eum, si esset forma corporis.

Praeterea. Hoc idem ostendit per Philosophi demonstrationem, quia cum intellectus possibilis recipiat omnes species rerum sensibilium, ut in potentia ad eas existens, oportet quod omnibus careat, sicut pupilla recipiens omnes species colorum, oportet quod omnibus careat. Si enim de se haberet colorem aliquem, ille color prohiberet videri alios colores, quia non viderentur, nisi sub illo colore. Et simile contingeret de intellectu possibili, si de se haberet aliquam formam de rebus sensibilibus; hoc oportet secundum eum si esset immixtus alicui corpori ut forma, quia cum ex materia et forma fiat unum, oportet quod forma participet aliquid de natura eius, cuius est forma. Ergo impossibile est secundum eum intellectum possibilem uniri corpori ut formam eius, sed est quaedam substantia separata. Verumptamen quia videbat nec poterat negare quin homo intelligat et per talem intellectum non possemus intelligere, nisi nobis aliquo modo uniretur, ideo posuit alium modum quo nobis talis intellectus unitur et continuatur. Dicit enim quod species intellecta in actu est forma intellectus possibilis, sicut visibile in actu est forma potentiae visivae; unde ex intellectu possibili et forma intellecta actu fit unum. Certumque igitur unitur praedicta forma et species intellecta, coniungitur etiam ei intellectus possibilis. Coniungitur autem nobis illa species intellectus mediante phantasmate; unde dicit quod sicut species visibilis duplex subiectum habet, unum in quo habet esse spirituale, scilicet visum, et aliud in quo habet esse naturale, sicut coloratum corpus, ita species intelligibilis habet duplex subiectum, unum scilicet in quo ista species intellectualis habet esse materiale, scilicet ipsa phantasmata, quae sunt in imaginatione, et aliud in quo habet esse immateriale, scilicet intellectum possibilem. Et ideo cum species intellectualis nobis uniatur mediante phantasmate et intellectus possibilis mediante specie nobis coniungitur, ut dicamur eo intelligere. Et per hoc ipse credit multa inconvenientia evitare. Cum enim subiectum speciei sit phantasma et diversa sint phantasmata in diversis, diversimode coniungitur intellectus possibilis diversis hominibus. Ex hoc sequitur quod illud unus homo scit quod alius nescit. Ex hoc enim non sequitur quod omnium hominum sit unum esse, quia cum ex intellectu possibili et ex specie intellectiva in actu fiat unum et ipse intellectus possibilis nobis non coniungatur mediante aliquo quod est formale in eo, sed mediante specie, quae coniungitur nobis secundum diversa phantasmata, ipse nobis coniungitur diversa



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

coniunctione. Et sic in diversis erit talis species unita non secundum idem esse, sed secundum diversum. Sed ista positio est erronea et falsa nec etiam modus ponendi conveniens nec suae rationes concludunt verum, sed est haeretica, quia praemium tollit et poenam. Cum enim diversificetur tantum intellectus possibilis secundum esse ex parte phantasticum, quae sunt corruptibilia; ex parte autem intellectus sit omnino unitas corpore corrupto, cum destruantur phantasmata, remanebit solus intellectus possibilis separatus unus et sic vel non est praemium vel poena, vel unus et idem praemiabitur et punietur per omnibus, quod est inconveniens. Nec etiam suus modus ponendi valet per quem dicitur quod contineatur nobis intellectus possibilis, quia constat quod species existens in intellectu possibili et in imaginatione non est eadem numero, sed diversa, quia impossibile est quod idem accidens numero sit in diversis subiectis numero, tum semper accidens numeretur numeratione subiecti et ideo non continuatur nobis intellectus per speciem illam, quia species, quae est in intellectu, non est in imaginatione, licet similis illi possit ibi esse. Unde sicut forma Sortis non continuatur Platoni per hoc quod in utroque est lapidum species, cum in utroque sit alia species numero, ita et hic.

Praeterea. Ex hoc non sequitur quod Sortes intelligat, cum enim operatio non egrediatur ab obiecto, sed a potentia. Si intellectus continuatur nobis per hoc solum quod species intellecta habet obiectum in nobis, sicut non sequitur quod paries videat propter hoc quod obiectum visus, scilicet color est in eo, sicut in subiecto, sic non sequitur quod Sortes intelligat per hoc, scilicet quod obiectum alterius intellectus est in eo, scilicet phantasma, sed potius intellectus separatus. Nec etiam rationes suae concludunt quod enim dicit Philosophus quod intellectus est impassibilis, simplex et immixtus corpori non excludit animam intellectivam, ne sit forma corporis, sed ex hoc ostenditur quod operatio intellectus /41va/ non exercetur mediante organo corporali.

Ad aliud dicendum quod non ponitur intellectus habere aliquam naturam respectu rei sensibilis, per hoc quod anima intellectiva est forma corporis, quia non est ratio nec armonia corporis, ut posuerunt aliqui philosophi, sed est potentia animae in ipsa radicata sicut in subiecto. Quod autem dicitur quod anima et forma aliquam participant naturam eius cuius est forma, dico quod falsum est. Licet enim materia et forma convenient in uno esse, tamen natura formae omnino distincta est a natura materiae; ideo non oportet quod anima sit de natura rei sensibilis, si sit forma corporis sensibilis. Modo contra istud arguitur multipliciter.

Primo contra rationes principales, quibus probatur quod anima intellectiva uniatur corpori ut forma, quia si illa ratio sit bona, sequitur quod potentia intellectiva sit forma corporis, non tamen anima, quia ipsa potentia est qua intelligimus maxime, cum secundum Philosophum ratio etiam teneat in forma accidentali, sicut substantiali, scilicet illud quo operamur, est forma rei.

Secundo sic etiam non valet ratio, quia includit falsum. Certum est quod baculo percutimus et tamen baculus non est forma percutientis per ipsum.

Tertio quia essentia divina est id quo beati vident et tamen forma eorum non est.

Quarto primum movens movet ut animatum et desideratum et tamen caelum nullam formam habet per quam intelligit.

Quinto etiam opinio Commentatoris male reprobatur per hoc quod dicitur quod eadem species numero, non potest esse in intellectu et imaginatione, quia illa reprobatio imaginatur intellectum



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

distare secundum locum a phantasmatis, quod non est verum quia ponit principium intellectivum esse praesens et movens et non distans.

Sexto etiam modus ponendi non videtur valere, cum dicitur quod anima est excedens nobilitate omnes formas alias; ideo habet esse forma corporis et etiam habet potentiam a corpore separatam; cum forma materialis et separata non possint esse eiusdem speciei, multo minus eadem numero. Sed haec positio ponit quod anima eadem numero per aliquid est unica per aliquid est separata, ergo male.

Ad ista dicendum. Ad primum dico quod illud quo primo intelligimus, est anima non potentia. Est enim potentia principium immediatum non primum; sed anima est id quo primo intelligimus.

Ad secundum dico quod ratio intelligitur de principio intrinseco, cuius principium baculus non est.

Ad tertium dico quod propositio intelligitur in naturalibus. In naturalibus enim semper id quo primo operamur, est forma. Sed visio Dei non est naturalis, ideo non valet.

Ad quartum dico secundum Philosophum quod caelum habet animam per quam primo intelligit aut ut prius quod intelligentia movet caelum ut desideratum non a caelo, sed a se ipsa, ut prius dictum fuit.

Ad quintum de Commentatore dicunt aliqui volentes Commentatorem salvare quod eadem species numero est in intellectu et in phantasmate. Unde dicunt quod formae intelligibiles non numerantur ex substantiis suis, sed ex causis suis. Unde dicunt quod si aer et aqua essent simul secundum locum, eadem species esset in utroque. Similiter est hic secundum Commentatorem, intellectus, cum possit hic per operationem esse, ubi phantasma est, una species potest utrumque perficere.

Contra. Quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis. Sed phantasma materiale est et intellectus immaterialis, ergo quod recipitur in utroque est materiale et immateriale. Sed illud non potest convenire eidem speciei intelligibili, ideo etc. Nec est simile de aqua et aere, quia utrumque est materiale.

Praeterea. Hoc dato cum tamen esset in phantasmate materialiter, non esset intelligibilis nisi in potentia et sic homo per eam non intelligeret, sed tantum intellectus separatus.

Ad sextum dico quod impossibile est formam totaliter immaterialem esse eiusdem speciei cum forma materiali, tamen eadem forma potest habere aliquid de utraque quasi in confinio existens inter materialia et immaterialia, quia secundum Dionysium Deus coniungit extrema per media participantia aliquid de utroque extremorum.

Ad primum argumentum principale dicendum quod licet species intellectus recipiatur individualiter subiective et particulariter, non tamen repraesentative. Licet enim sit singulariter ratione subiecti, in quo recipitur, est tamen in recipiendo et probando universalis.

Praeterea. Idem sequitur contra ponentes unum intellectum omnium quia si intellectus possibilis est unicus sicut quaedam substantia separata, oportet quod sit aliquod individuum. Sicut et de ideis Platonis, Aristotelis argumentatur. Et eadem ratione species intelligibiles in ipso erunt individualitate et essent etiam diversae in diversis intelligentibus separatis, cum intelligentia sit plena formis.

Ad secundum dicendum quod est intellectum in potentia non est ex eo quod est indivisibile, sed ex eo quod est materiale. Unde species quae immaterialiter recipiuntur in intellectu, si sicut individuatae sunt, tamen intelligente in actu.



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41ra-41vb
transcribed by Andrea Colli

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum homo sit magis ad imaginem Dei quam angelus. Responsio. Hic sunt duo videnda. Primo quid requiritur ad rationem /41vb/ imaginis. Secundo ostenditur ex hoc in quo magis reperiatur imago Dei vel in angelo vel in homine.

Quantum ad primum sciendum quod secundum beatum Augustinum, De diversis quaestionibus octoginta tribus nota de imagine, ubi est imago ibi est similitudo, sed non e converso, ex quo statim apparet quod similitudo est de ratione imaginis. Non tamen quaelibet similitudo sufficit ad rationem imaginis. Sed oportet quod illud quod est simile sit expressum ab eo, cuius est imago; et ideo unum ovum, quamvis sit alteri simile, non tamen est eius imago, quia ab eo non exprimitur nec causatur. Nec sufficit ad rationem imaginis quaelibet expressio ab alio. Sed oportet quod similitudo sit expressa secundum speciem vel signum speciei. Unde vermis qui oritur ab homine, cum sit expressus secundum similitudinem generis non speciei, non est ad imaginem, quia ratio speciei attenditur secundum ultimam differentiam; ideo cum ultima differentia omnium creatorum sit differentia intellectiva, quae solum invenitur in rationalibus creaturis; ideo solum in creaturis rationalibus ut in homine et angelo invenitur imago divina, quae summe est intellectualis. Et sic in creaturis irrationalibus non est imago Dei, sed vestigium; sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod de imagine Dei possumus loqui dupliciter: uno modo quantum ad id in quo principaliter consideratur ratio imaginis, quod est natura intellectualis et sic principaliter invenitur imago Dei, ubi principaliter invenitur ratio intellectualis naturae, quod est in angelis, quia natura intellectualis perfecta est in eis. Alio modo potest considerari imago in homine, quantum ad id in quo secundario consideratur ratio imaginis scilicet quo ad aliquas proprietates consequentes scilicet quantum ad aliquam rationem specialem imitabilitatis. Sicut dicimus quod anima est tota in toto corpore et tota in qualibet parte corporis, sicut est Deus totus in toto universo et in qualibet parte eiusdem et sicut ab uno Deo sunt omnia, ita ab uno homine sunt alii homines omnes. Et secundum hoc imago Dei magis invenitur in homine quam in angelo. Et quia magis attenditur imago Dei quantum ad naturam quam quantum ad ista accidentia; ideo est concedendum simpliciter, quod imago Dei sit magis in angelo quam in homine.